



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

Quando & in quibus casibus no[n] incurritur hæc excommunicatio cap. 33.
& 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

*Quando & in quibus casibus non
incurritur hæc excommuni-
catio. Cap. 33. & 34.*

Non contrahitur quando percussio fit ioco vel fortuito ut si quis dum turbas cohibet & arcet, clericum percussiat vel si causa vim vi repellendi cum moderamine inculpata tutela, nec quando percutitur clericus turpiter cum matre, vel sorore inuentus, nec quando signis deficientibus, clericus non creditur, vel si sit degradatus, seu habitu careat, & tonsura, aut ioculatorum artem per annum exercuit, nec si à muliere percussatur, quia de stupro tentauerat: nec si correctionis, disciplinae, vel deuotionis gratia à Prælati sicut Magistris (quibus licet etiã Sacerdotes percutere) clerici vel monachi percutiantur, seu in minoribus constituti à patribus,

ab iis, qui Ecclesiæ curā habent ne officium turbetur, etiam vsque ad sanguinis effusionem e naribus, Verū si in correctione inueniatur excessus peccati mortalis, excedētes, incurrunt, dummodo talis excessus non fuerit subitaneus.

Percutientes ex odio excommunicantur omnes & quamuis Episcopus per alium, clericum suum percutere possit, Abbatibus tamen non licet nisi per se ipsos, extra necessitatem: vt cap. vniuersis, de sent. Excommunicatio- nis. Torturam autem per laicos dantes. Panormit. dicit ligari. Nauar. ait peccare tantū mortaliter. Sed verius ab vtroque vinculo excusantur. Qui mandauit clericum sine auctoritate, & iustitiæ percuti, & reuocauit mandatum ante percussionem sciente mandatario, non incurrit, etiam si post mandatarium percutiat, nec mandans, qui ante mandati executio-

nem moritur, nec satellites, qui superiorum licentia clericum capiunt, & in vincula trudent. Quando vero clericus, vel religiosus se ipsum ex ira, & odio percutit, incurrit, si verò se offerat percutienti, spontè, non ipse, sed percutiens est excommunicatus.

*De aliis excommunicationibus
Papæ reservatis ex Decretalibus. Cap. 35.*

PRima in eos lata est, que ultra annum à Papæ delegato excommunicati, permanserunt in excommunicatione. * Secunda. In falsarios, & habentes apud se literas falsas. * Tertia. Contra communicantem spontè, & scienter in diuinis cum excommunicato à Papa per sententiã. * Quarta. Contra incendiarios excommunicatos & denunciatos. * Quinta. Contra raptos rerum Eccle-